Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31625
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

rabiem sue ferocitatis inmittunt cruciantes eos. et mille modis neci tradentes. Sanctus vero Gregorius repletus spiritu sancto cuncta providens et quasi corporaliter cum patientibus patiens, ut quondam Moyses ille fidelissimus non desinebat die noctuque pro statu ecclesie dominum flagitare dicens. O domine deus plasmator hominum magne pastor bone et rector salva populum tuum quem ad agnitionem tue fidei vocare dignatus es. et quos tibi ex eis placet ad gloriam tui nominis per palmam martyrii vocare conforta ad patiendum. quos vero in sancta tua ecclesia relinquere placet tibi confirma et corrobora in fundamento sancte et gloriose fidei tue. ne dicant quandoque gentes. ubi est deus eorum.

Factum est autem dum quodam die pro persecutione ecclesie oraret. cepit anxiari et quasi in spectaculo positus aurem accommodare ad audiendum et sollicite preparari ad respondendum. Deinde post paululum ad se reversus leta facie hylarique vultu clara voce dominum glorificare cepit. et davitica verba cantare dicens. Benedictus dominus qui non dedit nos in captionem dentibus eorum. qui nos oderunt. Cumque interrogaretur quid hoc esset. vel unde contristaretur et letaretur ait. Dicam eidem et gloriam victorie Ihesu Christi domini nostri non silebo. Vidi enim hac hora iuvenem nomine Troadium ante tyrannum ductum et diversis tormentis constrictum ut Christi fidem negaret. sed adiuvante gratia Christi calcavit ac derisit eum. tandemque coronatus per martyrii palmam ad celorum gaudia gloriosus migravit. Audiens hec diaconus eius scilicet sacerdos prefatus obstupuit. nec fidem dictis eius dare volebat. Unde virum dei suadebat ut eum sineret illuc proficisci ubi ista peracta fuerant. et rei omnem disceret veritatem. Quem dei pontifex prohibebat. et a latronibus viam obstrusam affirmabat. Cui cum diceret nulla me adversitas conturbare poterit. si tuis sanctis precibus armatus incedo. Tandemque oratione facta, commendavit eum domino et abire permisit. Vespere autem facto urbem ingressus est. qui fatigationem itineris recuperare volens ad balneum perrexit. Hoc enim balneum demon pessimus possidebat. et quicumque post solis occasum illuc ingrediebatur suffocabatur a demone. Cumque in eum vellet introire. prohibuit custos balnei et causam liquidius innotuit. plurimosque illic necatos esse noctu asseruit. Quem cum vehementius postularet diaconus. nec de morte demonis timeret. tandem coactus custos clavem illi contulit balnei et a balneo ne cum eo necaretur procul abscessit. Munitus autem diaconus signaculo sancte crucis balneum introivit. Quem mox demon terrificare nitens. diversarum figuras hominum ac bestiarum. terremotus etiam et monstruosa portenta contra eum exagitans. sed signo crucis et Christi nomine omnia pro nichilo ducens. lotus diligenter innocuus egressus est. Cui egredienti locutus est demon. Ne estimes inquit tuis meritis te esse salvatum. hoc totus egit Gregorius. Igitur ut causam per quam venerat cognosceret cives [illegible] interrogat. qui omnia sicuti Gregorius in heremo viderat per spiritum sanctum de Christi martyre Troadio seriatim innotescunt. Gratias autem deo agens diaconus didicit quantum valeret magistri meritum. quantumque christiane fidei gloriosa religio. Letusque ad magistrum cum gaudio reversus est. quid audierit quid perpessus sit a demone per ordinem narravit. Sanctus vero Gregorius deo laudem referens. magis magisque pro pace sancte ecclesie dominum exorabat. quem pie dominus exaudire dignatus est et continuo pacem ecclesie reddidit. Qua cognita dei famulus letus reversus est. cunctas ecclesias visitans ac de sancto certamine gratias agens iussit eos inquirere tempus et diem quo sancti martyres ad gaudia eterna migraverunt. scilicet ut illorum festivitates summa cum devotione annue celebrarent. ut qui faciunt gaudium angelis in celo. faciant gaudium hominibus in terra. illorumque intercessione ab omnibus iniquitatibus tuerentur. Et hoc non sine magna discretionis sapientia. scilicet ut corda fidelium que olim idolorum cultibus delectabantur exultarent in sanctorum martyrum festivitate. nec umquam feda carmina diabolice fraudis incendiis afflata recordarentur.

Sancto igitur revelante spiritu dum cognovisset sui obitus diem beatus Gregorius. totam Cesaream circuiens commonere cunctos et exhortari non cessabat dicens. Estote itaque filii karissimi solliciti et vigilate contra astutiam diaboli. ante omnia quidem karitatis vinculum nolite disrumpere. In soliditate sancte trinitatis semper manete. et nulla umquam angustia. nulla tribulatione a Christi amore recedite. Audite beati apostoli documentum. Non sunt condigne passiones huius temporis ad futuram gloriam que revelabitur in nobis. scientes procul dubio quoniam si terrestris domus nostra huius habitationis dissolvatur. quod edificationem habemus a deo domum non manu factam eternam in celis. Hec tenete hec docete. hec omnibus mundi thesauris mundi preponite. Hec est via quies eternaque gaudia regis. Gloria sanctorum lux dyadema decus. Hec vero edocuit conversus ad dominum. oculis ac manibus in celum erectis. his verbis dominum collaudabat dicens. Gratias tibi ago domine deus. quoniam tu adiuvisti me. et ab omnibus insidiis diabolice fraudis potentissime liberasti. Tu fortitudo. tu protectio. tu precepisti agonizare. tu mihi tribuisti exuperare. Gratias tibi ago. laudo et benedico nomen tuum. Gregem vero quem mihi committere dignatus es. ad agnitionem sancti tui nominis perducere curavi. et ut credentes successori meo relinquo quos nuper incredulos inveni. denos videlicet atque septenos. Veruntamen et ipsos tue committo potentie. Committo tibi plebem